



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

11. Filios sæpe, ob peccata in parentes, ê medio tolli.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

iratus dixit: Ecce ubi iterum diabolus ascendit. Vix sermonem finierat, & ecce orta tonitrua, filium eius in sinu nutricis percusserunt, ipsa incolumi permanente. Fertur Nobilis ante fenestram suam in horto arborem habuisse, in qua nidulans auicula suauissimè cauebat. Ei canenti vt identidem attenderet vxor eius, totos dies in fenestra jacebat otiosa. Cùm ergo alia illam ratione non posset seuoicare maritus, tandem auiculam sagittâ dejecit: ita vxorem ad domestica munia reuocauit. Ad eundem modum, DEVS, cùm videt parentes filijs suis nimis affixos, & quodammodo cæli suiq̄ue oblitos, sagittâ mortis eos deiicit. Quoties parentes timent, ne filij sui nimis fiant pij, ne in religiosum Ordinem intrent, atque eapropter à colloquio reuocant magistrorum? Quoties, vt filios dicent, subditos depauperant? Quoties omnia permittunt, quæcumque libido suadet; dicentes, vnicus est, sat habet bonorum, vtatur libertate? Adest ergo DEVS, & vnicum tollit. Aut, si quis plures habet, vnum tollit post alterum, donec tandem nulla monitione emendatum tollat etiam ipsum parentem; qui priùs velut simia nimo amore fœtum suum comprimens oecauit.

Maximè autem amittunt ante tempus vitam, qui ea se se sceleribus suis indignos fecêre; atque ij potissimùm, qui in parentes suos iniurij existunt. Exemplum luculentissimum est in Absalone; qui amore dominandi persecutus parentem, non à carnifice, sed à proprio mulo, & proprijs crinibus suspensus est. Nam cùm ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnâ, adhasit caput eius quercui: & illo suspensò inter calum & terram, mulus cui insederat pertransiuit. Tulit ergo (Ioab) tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom: cumq̄, adhuc palpitaret hærrens in quercu, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percussientes interfecerunt eum. Quantus tum luctus fuit David clamantis: Absalom fili mi, fili mi Absalom, quis mihi det, vt ego moriar pro te? Et tamen DEVS luctum hunc non curauit. Obseruatione dignum est, inobedientes filios & filias, vt plurimùm à DEO tolli. Quod ipse minatus est in Decalogo: *Honora patrem tuum* Exod. 20: & matrem tuam, vt sis longauus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Et in Prouerbijs: *Qui affligit patrem, & fugat matrem,* Prou. 19:

XI.

2. Reg. 18. 9.

trem,



Prou. 20.  
Prou. 30.

trem, ignominiosus est, & infelix. Ut quid enim terram occupat? Ac rursus: Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lucerna eius, in medijs tenebris. Iterumque: Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris sua, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquila. Sed adhuc grauius quid dicitur,

Leuit. 20.

in Leuitico: Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur; patri matrique, qui maledixerit, sanguis eius sit super eum. Omnium grauissimum est: Extinguetur lucerna eius in medijs tenebris; significat enim hæc sententia mortem in peccatis mortalibus atque extra gratiam. Etsi enim aliqui exponant: Extinguetur lumen vita eius, in hoc Mundo, hinc enim in Mundo sumus, quasi in tenebris, quia & Christus dicitur illuminare his, qui in tenebris sedent, & in umbra mortis; tamen per tenebras frequentissimè intelliguntur peccata, quæ cæcitatem inducunt, quæque æternam illam maledictionem merentur. Vnde & in Deuteronomio legimus:

Deuter. 27.

Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem, & dicit omnis populus: Amen.

## XII.

S. Bernardin.  
Tom. 2. Do-  
min. 3. qua-  
dragef. serm.  
37. & Guil.  
Baldesan l. 3.  
ffim. adolefc.  
cap. 16.

De vtraque morte sunt exempla. Temporalem vitam esse talibus diminutam, luculentè ostendit D. Bernardinus hac historia. Nostra, inquit, atate in Hispania citerioris oppido Catalunnie, cui nomen Sui, non ita procul Valentia, adolescens fuit, qui per parentum inobedientiam, eò deuenerat, ut anno octauo decimo propter latrocinia & publica facinora, in vincula coniectus, & suspendio damnatus sit. Erat etiam tum prorsus imberbis, pendentem verò iam atque exanimi subito prorumpit barba, spectante populo. Coma capitis planè senescunt, ut atatem referret hominis nonagenarij. Miraculo rei accitus cum populo & toto Clero accurrunt Episcopus. Omnes in genua prostrati expectant, dum ostendat DEVS, quid sibi monstrum hoc velit. Atque ecce tibi Episcopus editiorem capiens tumulum ad omnes ait: Voluisse DEVM ostendere, quantum de vitæ eis detrahat, qui de parentum obedientia detraxerunt: victurum etiam hunc iuuenem fuisse ad eam atatem, qua iam apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientia detraxisset. Audite hæc pueri puellaque; cerebrosa & inobedientes, quæ parentes vestros toties ad iracundiam prouocatis; cum illis litigare, rixari, conuitia miscere audentes; illis non verentes contradicere, detrahere de bona existima-